

1330
/ Responsio ad dubia ex Constantinopoli missa.

Ad p/um. Non licet. Nam in instructione de ritibus Graecorum edita jussu P Clementis VIII prohibentur viri latini, qui graecas uxores habent, assumere ritum graecum. Ergo a simili, vel a fortiori non licet latinis, qui non coguntur cohabitare uxoribus graecis, assumere ritum graecum. Item in bulla Pii V. prohibentur presbyteri latini celebrare ritu Graecorum, et Graeci ritu latinorum, etc. Adde quod si nostri latini assumerent ritum graecum, confirmarent errorem graecorum, qui existimant, latinorum ritum non esse legitimum.

10 Ad 2/um. Non licet. Nam vel nostri vellent re vera fieri Monachi S/ti Basilii, vel fingere (vellent), se esse monachos, cum non essent. Primum est contra bullas pontificias, et constitutiones, quae non permittunt nostros transire ad alium ordinem, nisi chartusiensem. 2/2/um est contra rationem, quae simulationes, et mendacia prohibet: et 15 potius nocent conversioni, quam prosunt. Denique non licet assumere ritum graecorum, ergo nec habitum, nisi forte ad tempus, ob aliquam necessitatem.

Ad 3/um, videntur omnino interrogandi, an sciant controversiam Latinorum, et graecorum circa dogmata fidei, alioqui forte absolvent 20 haereticos a peccatis, quae sunt circa mores, manente in eis peccato infidelitatis. Quae absolutio nihil proderit accipienti, et multum oberit danti.

Si respondeant, se scire, et se tenere cum Graecis contra Latinos, non possunt audiri nisi resipiscant. Si dicant^{se} nihil scire, 25 et vere appareant rudes, et incapaces, portasse poterunt audiri, et relinqui in sua ignorantia.

Ad 4/um. In instructione de ritibus Graecorum, dicitur, Latinos posse a Graecis sacerdotibus in casu necessitatis accipere sacramentum poenitentiae. Ubi indicatur, extra casum necessitatis id non debere fieri. Idem videtur dicendum de sumenda Eucharistia, servandum 30

/ esse a Latinis ritum latinum, excepto casu necessitatis.

Ad 5/um. Armeni non sunt rebaptizandi, nisi constet eos, non rite baptizatos, quo ad substantialia, de qua re prius interrogandi sunt. Non enim oportet ex sola suspicione procedere, cum veritas haberi
5 potest. Et si res omnino sit dubia, baptizandi sunt sub conditione.

Ad 6/um. Si post adeptum Archiepiscopatum, aliquid solvendum sit, ut apud nos in bullis expediendis, illa non est simonia. Neque erit simonia, si ad redimendam vexationem aliquid cogatur solvere Regi
10 Turcarum, aut ejus Ministris; quo modo olim Romani Pontifices non permittebantur consecrari, nisi prius pecunia Graeco imperatori persoluta. Sed si per pecunias paratur via ad adipiscendum Archiepiscopatum, non videntur qui ista agunt excusari a simonia. Sed non facile judicandum est, nisi res tota bene intelligatur, et ipsi Archiepiscopi audiantur.

15 Ad 7/um. Videtur petenda facultas absolvendi a summo Pontifice. Bulla enim in coena Dñi Romae publicata, obligat ubique.

Ad 8/um. Certum est, christianos posse militare sub Rege infideli, et persecutore christianorum, dum nihil imperat contra legem Dei. Id patet ex cap. Julianus 11 q.3 et exemplo legionis Tebaeorum, quae
20 militabat sub Maximiano imperatore, et legionis fulminatricis, quae militabat sub M. Aurelio imp. et impetravit pluviam toti exercitui, ut habetur apud Tertullianum in Apologetico, cap.5 et in libro ad Scapulam. Quare si ista cohors gallica non cogitur abnegare fidem, sed sinitur vivere secundum legem christiana, et non mittitur contra
25 christianos: videtur posse tolerari. Tamen de hac re libenter audire sententiam aliorum.

Miss.2 - VI,5. Responsa Ill/ni Card/lis Bellarmini, et Patrum Collegii Romani ad dubia proposita a nostris e Residentia Perinthia, seu Constantinopolitana.

30 Primum dubium. An liceat nobis ritum Graecorum assumere ad ani-

/ marum bonum, si hoc solum Graecorum utilitatem impediret, ut omnino potest ? [Ad 1/um Respondetur. Non licere. Nam...

2/um. An liceat nobis habitum Papassorum, seu Calogerorum assumere? hic est honoratior, et monachalis; ille contemptior et saecularis. Sed qui hunc gestant, matrimonio conjuncti habentur: qui vero illum, regulae S/ti Basilii se submitunt, ideoque a carnibus omnino abstinent: alteruter tamen videtur assumendus, si Graecos juvare volemus. [ad 2/um R. non licere. Nam...

3/um. An Graecis, qui apud nos peccata sua confiteri volunt, dec-
10 laranda sint, quae de Spiritu Sancto, Purgatorio, et Primatu Pontificis Romana tenet Ecclesia. An vero in bona fide, in qua plerunque vivunt, sint relinquaendi ? [Ad 3/um R. Videntur....

4/um. An liceat iis, qui Graecum ritum sequuntur, apud nos peccata expiare, et sanctum Eucharistiae Sacramentum accipere ? Et vi-
15 cissim Latinis apud Graecos ? Ad 4/um R. [Non videtur esse dubium..

5/um. An Armeni, qui Latinum aut Graecum ritum suscipere nolunt, sint rebaptizandi (quod Graeci facere solent), qui fortasse in fide Sanctissimae Trinitatis non sunt baptizati ? An vero Graeci docendi id nefas esse ? Ad 5/um R. Si post diligentem discussionem...

20 6/um. Quomodo a Simonia liberi esse possunt omnes Metropolitae, qui , et numerata Patriarchae et Clericis pecunia, suos emunt Episcopatus ? Ad 6/um R. Si post adeptum Episcopatum...

7/um. Quomodo se gerent Nostri cum iis Navarchis, qui ex Francia ad Turcas afferunt, quae in Bulla Coenae deferri prohibentur ? Nam
25 una ex parte videntur absolvi non posse, quia Bulla Coenae non est ubique recepta. Ad 7/um R. Per Societatis...

8/um. An falli, qui quavis de causa degunt in Turcia, Turcisque stipendiis militant, absolvi possint ? Ad 8/um R. Absolvi posse...